



I.

EXISTUNT IN GERMANIA
COMPLURES DECIMÆ
ORIGINETENUS SÆCULARES.



Decimas non paucas in germaniâ dari,
quæ originetenus ad fiscum Re-
gium, aut alios sæculares Domi-
nos ut censûs species spectabant,
optimè è Diplommatibus âb incu-
nabulis Reipublicæ Nostræ datis licet intelligere.
Sic enim dum CAROLUS M. in DOUBLET *Histoire*
de St. Denis pag. 708. Monasterium Honaugiense
â tali præstatione fiscali eximit, disponendo; quòd

A

nul-

nullum telonium, neque exclusaticum, neque decimum, neque barganaticum dare debeant; manifestum evadit, viguisse Decimam quandam ut speciem telonei. Clarius è Diplomate apud HEDAM de Episcopis Ultrajectinis p. 39. eruitur obtinuisse decimam ut speciem Censûs fiscalis, eamque Ecclesiæ è largitione Regiâ obvenisse: nam ibidem CAROLUS M. Ecclesiæ ultrajectinæ àb Antecessoribus suis obtenta privilegia confirmaturus ait: de rebus quas Antecessores nostri ad ipsam casam Dei concesserunt, ut omnem decimam de terris seu de Mancipiis aut de teloneis vel de negotiis aut undecunque ad partes fisci Censûs spectare videbatur. Clarissimè verò idem demonstrant verba in Diplomate LUDOVICI GERMANICI apud MARTENE collect. veter. Scriptor. & Monumentor. Tom. I. p. 187. quæ ità sonant: Dominus Avus Noster concessit quandam Decimam ad Monasterium Altrepiæ de fisco qui vocatur Neccranva. quæ verba nullum sanè dubium relinquunt, quin fuerint Decimæ reales, quæ ad fiscum Regium spectaverint. Confl. Georg. LUDOV. BOEHMER erudita Dissertatio de origine Decimarum in Germaniâ. Fiscales ejusmodi Decimas perinde ac alias præstationes fiscalinas ad Palatium civitatis vicinæ solvere solebant subditi eousque, donec

nec Regia dispositio aliunde easdem assignaret: colligi id non tantum potest è Diplomate LUDOVICI PII in ECCARD *de rebus Franciæ oriental.* Tom. 2. p. 883. ubi Ecclesiæ Herbipolensi inter alias res àb Antecessoribus suis collatas etiam confirmat, *quidquid Karlomannus sive bonæ memoriæ Pipinus Rex & reliqui Deum timentes homines ad ipsam Ecclesiam delegassent tam in rebus, quàm in Marchis ac Decimis &c.* Manifesto rursus indicio, Decimas hinc memoratas inter Jura ac præstationes Dominicas; antequam Ecclesiæ advenerant, fuisse relatas; sed multò clarius id intelligitur è Diplomate apud SAGITTARIUM in *Antiquitatibus Magdeburgensibus* §. 72. Ubi OTTO M. assignat *Cryptæ Martyrum noviter fundatæ Magdeburgi omnem decimationem, quam Theutonici vel Slavi ad urbem Magdeburg pertinentem persolvere debent, nec non omnium Theutonicorum vel Sclavorum Decimam ad Civitatem Prosa pertinentia, & illam quam Theutonici & Slavi persolvere debent ad Civitatem Barlic pertinentem &c.* Breviter reales ejusmodi Decimæ inter Jura Regalia referebantur, & sicut hæc, ita & Decimæ in status Imperii & Ecclesias subinde alienabantur. Id rursus ad oculum demonstrari potest è Diplomate in HARENBERG *Histor. Gandersheim.* p. 672.

Ubi huic Ecclesiæ HENRICUS III. concedit pagum
Empnegavi, insuper *Decimas*, *pascua*, *piscationes*
in singulis præfatis locis unâ cum Juribus cæteris
Regalibus. Non minus alii sæculares Domini De-
 cimas ejusmodi reales sive à Regibus obtinuerant,
 sive ipsi instituebant, deque iis eodem penitùs, ac
 de aliis suis sæcularibus redditibus modo dispone-
 bant; ceu rursus è Diplomatum probari potest:
 sic CONRADUS Marchio Misnensis in HAHN *Collect.*
monument. veter. Tom. I. p. 77. Confirmat *Deci-*
mas de Dominicalibus suis in villâ Staril & in Tres-
gowe, aliasque Decimas quorundam ad præfatum lo-
cum pertinentes cum modiis, quas singuli de singu-
lis mansis reddunt, quibus P. Thiemo Comes præ-
fatam Ecclesiam dotavit, Decimasque piscationis
de Stagno à piscatoribus in Knoepe sic, sicut SIG-
 FRIDUS Archi-Episcopus Moguntinus quâ Dominus
 terræ terram incultam & montosam prope Rüdesh-
 heim excolendam permittens in GUDEN. Tom. I.
 Cod. dipl. p. 381. Sibi & suis successoribus reserva-
 vit, ut solverent cultores illius *annuatim de Man-*
sis & Jugeribus sub nomine Decimæ quadraginta
Carratas vini Pontici; Ita & Anno 1296. OTTO
 Dux Luneburg. & Brunsw. in novellâ plantatione
 terræ prope Harborg ad se pertinere ostendebat
 Deci-

Decimas illius novalis; nam in Diplomate apud PUFFENDORFF observat. *Jur. Univ.* Tom. 2. append. p. 5. ait: *terram hujus, quicumque fuerint possidentes, omni Jure liberè possidebunt, exceptâ Decimâ & Judio, quæ nos tangunt... sequitur forma de terræ hujus Decimâ colligendâ. In Campis quartus decimus cumulus, qui vyme vulgariter dicitur, colligetur &c.* Quæ novalis Decima citrà omne dubium erat originetenus sæcularis. Plura exempla in cit. BOEHMERI Diff. §. 31. & seqq. memorantur. Decimæ ejusmodi ad Regem vel terrarum Dominos spectantes dicebantur *Decimæ Regales, Dominicales, Indominicatæ, & Salicæ*; Inque has Ecclesiasticis nullum Jus competebat; hinc in Diplomate apud SCHATEN in *Annal. Paderborn.* Tom. 1. p. 177. LUDOVICUS GERMANICUS hoc testatur: *hactenus observatum comperimus, ut Decimæ de Dominicatis Mansis non darentur Episcopis.* Simile ait HENRICUS AUCEPS in GUNDLING *Histor. Henr. Aucupis* p. 310. & OTTO M. dum in GUDEN. Tom. 2. p. 3. Ecclesiæ S. Maximini propè Treviros concedit *Dominicales, quas vulgò Salicas vocant, Decimationes, quoniam essent Regales, & nulli unquam termino Episcopali vel Ecclesiæ subjacentes.* Manifesto indicio, Decimas

haec ad Jura Laicorum spectasse; id quod ipsimet
 Episcopi non rarò agnoscebant, ceu apparet è Di-
 plomate de Anno 1142. in GUDEN. *Sylloge* p. 3. ubi
 Episcopus Wormatiensis testatur, *qualiter locum*
in Schonaugia emancipaverit, & immunem fecerit à
Jure Censûs & Decimationis, & absolverit àb omni
potestate Laicali. Quod certè dicere non potuif-
 set, si locus hic Decimis Laicalibus non subfuisset.
 Unde jam sufficienter puto constabit veritas asserti
 mei, scilicet dari in Germaniâ Decimas origine-
 tenus Laicales.

II.

SUNT QUOQUE IN GERMANIA
 DECIMÆ ORIGINETENUS
 ECCLESIASTICÆ.

De Decimis Ecclesiasticis in genere, earumque
 origine hîc differere mei non est Instituti.
 Unde & nequidem tangere opus habeo, quomodo
 Patres Ecclesiæ præcipuè inde à Sæculo V. diligen-
 ter instituerint, ut, ubi sufficientes ad personas
 cultui divino necessarias, ad pauperes alendos, item
 ad ædificia Ecclesiæ conservanda & reparanda Ec-
 clesiis non suppetent facultates, omnes & singuli
 fide-